

Beiheft

2

S 117

1281 (1280) April 9.

[54]

Der Edle Baldwin von Steinfurt verkauft Güter im Kspl. Holtwick an das
Kloster Varlar.

In nomine Domini, amen. Ut rerum rite gestarum plenius valeat memoria conservari, cautum est et utile videtur, ut ea, quae gesta sunt, sic praesentium iuuentur testimonio, quatenus omnia, sicuti gesta sunt, si necesse fuerit, liquere possint fidelium posteritati. Proinde nos Baldewinus miles, nobilis de Steinfordia, dignum duximus cunctis Christi constare fidelibus, quod nos de consensu domini Ottonis, praepositi veteris ecclesiae in Monasterio, ac domini Joannis crucesignati fratrum nostrorum, Elisabeth uxoris nostraræ, Ludolphi, Henrici, Elisabeth et Lyse liberorum nostrorum et cohaeredum bona nostra in Limbecke, videlicet duos mansos sitos in parochia Holtwick, qui ex vera et iusta proprietate nos contingebant, cum agris, lignis, pratis, rivis, pascuis et hominibus, excepto Henrico tantummodo fratre Joannis maioris domus, cum omnibus suis attinentiis et juribus rationabiliter pro propriis bonis vendidimus pro octoginta marcis legalis monetae domino Joanni praeposito et conventui ecclesiae Varlarensis et coram nostris ministerialibus et castellanis subnotatis ex unanimi consensu coniunctis manibus plenarie resignavimus in manus dicti praepositi et conventus jure proprietario perpetuo possidendos, nihil nobis in eisdem bonis vel hominibus iuri, fructus vel commodi reservantes, sed omni iuri et quaestioni, quae nobis competebant vel umquam competere possent, penitus abrenunciamus. Ne autem huius facti series infringatur, sed potius inviolabiliter observetur, praesentem litteram ipsis tradidimus sigilli nostri munimine roboratam. Datum et actum anno Domini M^oCC^o octagesimo, mense Aprili, feria quarta ante Pascha, praesentibus et protestantibus domino Luberto commendatore, domino Joanne praeposito Varlarensi, Warmundo priore, Richardo custode, Wernerо cellarario, Theoderico capellano nostro, Henrico de Detten dapifero, Eberto de Metelen, Reinero de Leeden, Rutgero Miletен, Hermanno de Selen, Hermanno de

Legden, Joanne de Cossvelt et Giselberto de Sunderhuss, militibus; Ludolpho de Monasterio, Joanne et Gerardo de Wullen, fratribus, Caesario de Heck, Ludolpho de Wullen, Joanne Beckerere, Joanne venatore, Johanne de Detten, Godefrido de Legden, Bernardo Brüding, Henrico Scenborg, Bernardo de Huppelswick, Henrico de Legden et alii quam pluribus fide dignis. Protestamur etiam, quod Henricus senior, frater Joannis maioris domus in Limbecke, receptis quatuor marcis a fratre suo Joanne supradicto omni iuri, quo dicta domus ei competit, penitus resignavit. Nos vero Otto, praepositus veteris ecclesiae in Monasterio, et Joannes fratres sigillo fratris nostri domini Baldewini contenti suprascripta omnia et singula